


F.K. 67 5

X2920677

Z e  
4176

Schmitt

96



HIC  
**SOCER ET GENER**  
 AFFLICTUM  
**SOLANTUR**  
**AMICUM,**  
 QUI  
**LUGET COSTÆ**  
**FUNERA ACERBA**  
**SUÆ.**



CYGNEÆ,

Imprimeb. CHRISTIAN<sup>o</sup> BITTORFFI<sup>o</sup>.







Salutem, vitam & solatia à Patre salutis omnis  
Vitæ Principe, & solatorum Spiritu !

Vir Generose, & Excellentissime,  
Domine, & Fautor longè honoratissime.

\*\*\*

**Q**ui de Conjugis dilectissimæ excessu, domusque desolatione ultimis literis edoctus ex animo condoleo, & si ita Supremo vitæ necisque DOMINO visum fuisset, cum omnibus aliis Vestri amantibus longiorem in hâc vitâ mansionem animæ hîc etiam cœlo frui solitæ, Vobis autem diuturniorem boni tam grati usuram feriis votis exoptaturus fuisset, de pietate & constantia Tua, VIR non virtute omni minus, quàm gente Nobilissime, secus quam decet, sentire mihi ipsi viderer, si meo solatio Te indigere existimarem. Certus enim sum, qui virtutes Costæ gratissimæ in pretio habuisti, quod tam amatae non inideas requiem, & pacem æternam, votorum omnium, quæ sapientes concipiunt, metam, & ad quam ex mundo, pacis, si unquam alias, nunc certè ignaro, non nisi per hanc portam patet transitus. Nec minor de illo mihi certitudo est, quod, cum Conjugem ardentem, quod decet, & illa merebatur, dilexeris, Ejus tamen amore adhuc ferventiori ardeas, qui ipsam evocavit, ut adeo, quicquid ille à Te reposcit, ac anima Tua æque charum, (imò, si velit, ipsam animam) prompto animo reposcenti permittas. Sed & fides tua, vivaque spes præmissam aliquando revisendi, & in supernis palatiis gaudia in ejus & electorum omnium consortio infinita capiendi, non potest non ex tanti boni jactura illatum dolorem plurimum lenire. Unde omne amici in eo tantum consistet officium, ut, quod me facturum recipio, beatè defunctæ memoriam in benedictione conservem, & cui æternum erit optime, ut sit, voveam, imprimis verò cœlestem Patrem pie invocem, qui, quod exterior homo ex talibus sentit, vulnus ipse obliget atque sanet, animum omnium cœlestium solatorum suavitate mitiget, & gratiâ suâ Te, VIR optime, duplici impleat, ut, jam solus oneri familiari ferendo, quod hæctenus duorum presserat humeros, sufficias, proprioque experimento, quod divinæ est



est bonitatis, discas, non hanc nobis illos subtrahere, per quos nobis benefecit, ut non per seipsam postea esse pergat, quod prius per alios esse solita erat: cum enim nec conjuges, nec quicumque alii, quorum fruimur amicitia, vitam nostram aliter juvare queant, quam uti instrumenta sunt Patris nostri, vel, quod Lutherus dicere solebat, LARVÆ, quas hic vultui suo induxerat, his etiam abjectis ille tamen qui fuerat, esse perseverat, vel semet clarius quoque visendum præbet. Vale in DOMINO, & cujus TUA faciem cœlesti fulgore radiantem clare intuetur, ejus quotidie super domum tuam exorientis novam gratiam experire. Scrib. Berolini 13. Octobr. 1691.

Gen. T. Exc.

*ad preces & officia  
addictissimus*

**PHILIPPUS JACOBUS  
SPENERUS, D.**

VIR maxime Generose,  
Domine, Fautor, & Amice multis  
nominibus colende.

**N**isi pectus tuum præfidiis Christianæ Philosophiæ probe jam munitum scirem, fontes solatii, quo in tristi hoc casu domestico opus est maxime, prolixius indicarem. Prosperæ & adversæ fortunæ sociam fidissimam amisisti, aut rectius, ad melioris beatæque vitæ fruitionem præmisisti, sed olim lætissimo vultu animoque restituendam. Quid ergo doleas? Nosti beatissimæ Conjugi nunc melius esse, quam cum in amplexibus tuis hæreret. Felicitatem hunc propter amorem, quo ipsam amplexus es, non invidabis. Pignus amoris tibi reliquit, optimam puto filiam. Hanc quoties intueberis, damnum, quod in funere tantæ Matris fecisti, levabis & mitius feres; imprimis, si DEI voluntate, quæ semper optima est, hoc tibi, VIR OPTIME, accidisse cogitabis. Is tibi illam solatio, & Te Republicæ bono fervet, atque solatio Spiritus sui in hâc calamitate erigat, ut patienter, quicquid mutari nequit, feras. Plura addere nec tempus, nec dolor, quem ex luctu tuo cepi, permittit. Epi-cedium deproperavi infelici vena, quod æqui bonique confules. Vale & salve in DOMINO, qui solatium afflictorum est!  
Lips. 2. Octobr. 1691.

Ergò



2c 4170 7A



**E**Rgò ruit moriturus Amor, raptusque cubili  
Cogitur amplexus deseruisse Tuos.

Nempe volunt Superi, gaudentque hoc pignore,

SCHULTTI,

Delitioque tuo jam propiore frui.

Hoc dederant prius, hoc repetunt, sua nomina  
poscunt:

Mutua facta Tibi dos erat illa DEI.

Illa Tibi quondam nupsit, jam nubit Olympo,

Et modo divinâ tangitur apta manu.

Ivit in amplexus Christo sine fine sacratos,

Nunc magis æthereis ignibus ardet Hymen.

Cur, SCHULTTI, Tua damna doles? Hac forte  
triumfat,

Et felix superùm limina calcat Amor.

*Debite συμμαθείας χάριν  
deproperabat*

**L. A. RECHENBERG,**  
**P. P.**



Worm

nc






F.K. 67

X2420677

Z e  
4176

Schmitt

96



SOCER  
SOL  
AMI  
LUGH  
FUNER

Imprimeb. CHR



M,

A

